Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2825
Quelle:
Copyright:

Fide suspectos in domo sua non teneat, ut libenter audiat veritatem, ut diebus consuetis verbum Dei audiat, ut diebus festis non toleret nundinas et opera servilia, ut expensas suas solvat; ut non exaltet et promoveat indignos, ut non ferat exactiones et rapinas pecuniae publicae, ut nolit in omnibus sequi suam opinionem, ut comprimat luxum in vestitu maxime Feminarum *in elacione comarum et protractu caudarum*, permoveatque *preclarissimam consortem reginam* ad exemplum dandum, demum, ut eleemosynas pauperibus ordinatas non retineat aut in alios usus convertat. *Postulata* haec XX. graviter inculcantur et ubertim S. Scripturae effatis firmantur. Ad quam porro Aulam pertineant, penultimo demum *Postulato* proditur, ubi Oratores ajunt: *Quare verisimile est, quod deus erga regnum francie omnino non placabitur, nisi auferantur de populo isti deformes et monstruosi habitus mulierum bestiales potius quam humani.* At vero cui Regi isthaec dicta fuisse putemus? Si quid video, *Carolus* is est IV. sive *Pulcher*, cujus tempore et Provincias ab *Anglis* vastatas, et maximam Quaestorum rapacitatem, et enormem Feminarum luxum fuisse produnt Historici. Et quid hodie in *Gallia?*

IV. *fol.* 19. Conclusiones quaedam Theologicae; praesertim una in favorem *Lolhardorum*, *Beghardorum* et *Beguinarum* propugnata *Basileae* 1404. per fratrem *Rudolfum Buchsman* O. M. lectorem Domus *Basil.* et refutata ibidem 1405. per fratrem *Johannem mulbeck* O. P. domus *Basil.*

V. *fol.* 43. *Eugenii* IV. Bulla, qua dissolvit Synodum *Basileensem*, aliamque indicit *Bononiae.* Incipit: *Quoniam alto et incomprehensibili domino* &c. Finit: *Datum Rome apud Sanctum Petrum XV kalendas Januarij Anno Primo.* In Collect. Venet. Concc. *Labb.* T. XVII. *col.* 733.

VI. *fol.* 46. *Basileensium* Literae ad omnes Fideles, quibus significant, se *Basileae* perstituros. Incipiunt: *Zelus domus dei quae est ecclesia* &c. Finiunt: *Datum Basilee XXI. Januarij Anno domini Millesimo quadringentesimo tricesimo secundo Pontificatus ejusdem domini nostri pape Eugenij Quarti Anno Primo.* In Collect. *cit. col.* 446.

VII. *fol.* 47. p. 2. Eorundem Literae ad *Leonardum* (de Layming) Ep. *Patavienſem.* Initium: *Mirari satis non sufficimus Reuerende pater cur gressus vestros ad hoc presens generale Concilium nondum direxistis* &c. Ad calcem: *Datum Basilee die XXVI^a mensis Januarij Anno a Natiuitate domini Millesimo quadringentesimo Tricesimo secundo.* In Collect. *cit. col.* 245. habentur hae Literae inscriptae *Episcopo Noviomensi*, unde liquet generali formula usos *Basileenses* ad omnes Episcopos, qui iis se adjungere cunctabantur, quemadmodum et Universitatem *Vienn.* evocatam hoc anno fuisse, testis est *Conspectus Historiae* ejus P. 1. p. 136.